

» in proprios usus convertant. Nos enim auctoritate et de plenitu-  
» dine potestatis praemissa, ipsis arma sumentibus et aliquos eo-  
» rumdem Venetorum et subditorum eisdem tunc eorum ditioni  
» obtemperantium, eorum res et bona in hujusmodi eventum ca-  
» pientibus universa, pecunias, jocalia, mercantias, navigia, ani-  
» malia, res, et bona mobilia et immobilia ubicumque locorum  
» etiam extra loca territorii eorumdem Venetorum, civitates quo-  
» que, castra et loca eorumdem Venetorum, quae sic ceperint, eis  
» in praedam concedimus et volumus illa ad eosdem capientes  
» pleno jure pertinere: et personas ex Venetiis aut aliis civitati-  
» bus, terris et locis, quorum communia et universitates ab eorum  
» obedientia, prout eis mandatur per praesentes, se non subtraxe-  
» rint, ut praefertur, originem trahentes, seu in illis domicilium  
» habentes, quas ubique locorum capi contigerit servos fieri ca-  
» pientium. Concedimus quoque eisdem qui sic contra eosdem Ve-  
» netos pro Romanae ecclesiae defensione et rerum sibi ablatarum  
» et apostolicae auctoritatis reintegratione, ipsorum Venetorum  
» bello et oppugnationi hujusmodi se opposuerint et ad defensio-  
» nem nostram quomodolibet praestiterint auxilium, consilium vel  
» favorem, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam  
» et remissionem. Et si qui reges, duces, principes, marchiones,  
» comites, barones, communitates, universitates, collegia tam in  
» Italia quam extra Italiam constituta, aut quaevis aliae etiam par-  
» ticulares personae per se vel alium seu alios publice vel occul-  
» te, directe vel indirecte quovis quaesito colore eisdem Venetis  
» excommunicatis, anathematizatis, maledictis, privatis et inhabili-  
» tatis contra Romanam ecclesiam in praemissis vel aliquo eorum  
» arma, pecunias aut com meatum ministrare, seu auxilium, consi-  
» lium vel favorem quovis modo praebere praesumpserint, aut  
» cum commode possent, a spoliò, depraedatione et captura eorum-  
» dem Venetorum et subditorum suorum abstineant, quicumque  
» fuerint etiam quacumque excelsa praediti dignitate, maledicti et  
» excommunicati existant, et divino percussi anathemate, nec de